



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. Proponuntur & examinantur definitiones fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

senti *quest. 1. art. 1.* Probarique potest, quia nostra fides solum credit, quæ sunt reuelata: non est autem à Deo reuelatum, hic, & nunc patrandum miraculum, ergo fides miraculi non est eadem, sed alia diuersa. Confirmatur, quia alioquin, qui non crederet hoc miraculum patrandum, esset infidelis, & amitteret habitum fidei; quod videtur contra communem fidelium sensum, quis enim dicat S. Petrum amisisse habitum fidei, cum cœpit pauere in aquis, aut Apostolos, quando timuerunt in nauicula? vtroque enim Christus exprobrauit defectum fidei, ergo illa fides, cuius defectum habuerunt Apostoli, non erat eadem cum fide, quæ credit mysteria, & quam Patres appellare solent *fidem dogmaticam*. Ita Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 5.* vbi ait: licet nomen fidei sit vnum, dupliciter tamen diuidi, quia vnum genus est, quod habet dogmaticam assensionem: aliud verò quod gratis datur, per quam non solum creduntur dogmata, verum etiam est super vires effectiua. Item Chrysostomus *hom. 29. in 1. ad Corinth.* supra illa verba *cap. 12. alius sermo, scientia*, alteri autem fides in eodem spiritu sic ait: fidem dico, non eam quæ dogmatica est, sed signorum, de qua dictum est: si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

28 Alij tamen dicunt hanc fidem miraculorum ad eundem habitum pertinere. Ita Sotus *lib. 2. de natura & gratia, cap. 6. Bellar. tom. ultimo controuersia 2. lib. 1. de iustificatione cap. 15.* & alij, quibus fauere videtur S. Thomas *infra quest. 178. art. 1. ad 5. & art. 2. ad 2.* Probatur primò, quia fides, de qua loquitur Paulus ad Hebr. 11. & quam dicit esse substantiam rerum sperandarum, &c. proculdubio est fides communis, & tamen per illam subdit patrari miracula: per fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, &c. Secundò fides, quæ exigitur ad miracula, est fides omnino certa, & sine formidine; ideo comparatur à Christo grano sinapis, non propter paruitatem, sed propter fortitudinem, & acrimoniam, vt notauit Hieronymus *Matth. 17.* & colligitur ex Paulo *1. Corinth. 13.* vbi fidem hanc appellat fidem maximam, & perfectissimam: si habueris omnem fidem, ita vt montes transferas. Illa ergo fides certa est, vt constat ex Matth. 21. vbi de ea fide ait Christus, si habueritis fidem, & non hesitaueritis, &c. Fides autem certa debet inniti reuelatione diuina, ergo habet idem motiuium, quod fides dogmatica, ergo pertinet ad eundem habitum. Tertio, fides miraculorum est, cui opponitur incredulitas, sic Matth. 17. dicitur Apostolos non eiecisse demonium ob incredulitatem: & Deuter. 20. ob defectum fidei ad educendam aquam Moyses & Aaron dicuntur non credidisse: & alibi sæpè: incredulitas autem est actus intellectus, ergo fides miraculorum est assensus intellectualis ob auctoritatem Dei.

29 Propter hæc argumenta dicendum videtur, fidem miraculorum includere sanè aliquem assensum elicitem ex eodem fidei habitu, quo scilicet firmiter credatur potentia, & bonitas Dei, fidelitas item ad implendum quæ promissit. Addere tamen regulariter videtur supra hanc communem fidem assensum alium firmiter de opere futuro, genitum ex priori fidei assensu, & ex penetratione circumstantiarum, quo prudenter creditur, hic

& nunc non defuturum Deum; ex quo etiam in voluntate oritur fiducia, seu confidentia firma quam sæpè exigebat Christus ad miracula. Ex quo patet ad argumenta pro prima sententia. Non enim necesse est, ex defectu huius fidei amitti habitum fidei; tum quia habitus fidei non perditur propter dubitationem, & formidinem leuem & venialem, quam tamen excludit fides requisita ad miracula; & quam fortasse Petrus, & Apostoli habuerunt in prædictis calibus; tum etiam quia manente fide, potest aliquis culpabiliter non habere iudicium illud subleuens de futuro miraculo, vel confidentiam firmam in voluntate, qui actus includuntur etiam, vel connotantur ad fidem miraculorum, quod idem cum proportionem dicendum est de fide, quæ in oratione exigitur in Epistola Iacobi cap. 1. *populi in fide nihil hesitans*: quæ etiam fides includit illos tres actus; de hoc tamen videri potest Suarez *disp. 8. sect. 1.* vbi bene hoc totum explicat, nec potest esse de re controuersia.

SECTIO III.

Proponuntur, & examinantur definitiones fidei.

Postquam præcipua prædicata fidei propolita sunt desumpta ex obiecto formali, obiectiuitate, modo tendendi, & alijs capitulis, facile iam erit fidem definire. Primam definitionem hanc affert, & explicat S. Thomas *quest. 2. art. 1. ex Augustino* de prædestinatione Sanctorum cap. 1. dicente, credere nihil aliud esse, quam cum assensione cogitare, quam definitionem, & eius verba conatur S. Thomas ad eum sensum reducere, & explicare genus, & differentiam propriam fidei diuinæ. Et quidem assensio videtur indicare differentiam à cognitione euidenti, quatenus significat aliquam libertatem in adhesionem intellectualem: ideo enim dixit idem Augustinus de spiritu & littera, cap. 3. *Quid est credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur?* Assensus itaque, licet non sit actus voluntatis, qui potius dicitur consensus, est tamen actus intellectus ex consensu voluntatis. Vult etiam S. Thomas quod in eadem voce importetur firmitas adhesionis, quæ est propria fidei diuinæ, & per quam differt à fide humana, & opinione; sed reuera, vt dicitur etiam Suarez *disp. 6. sect. 1. num. 9.* & alij, licet hæc acutè dicta sint, non tamen videntur necessaria, nec oportet, quod Augustinus ibi fidem diuinam definire intenderit, sed solum explicare aliquod eius predicatum genericum, quod ad eius intentum sufficiebat. Probatur quippe contra Semipelagianos, non solum progressum, vel augmentum, sed etiam ipsum initium fidei debere in nobis esse ex Dei gratia: quod probat, quia omnis cogitatio bona in iis, quæ pertinent ad salutem, debet esse ex gratia Dei, iuxta illud Pauli ad Philip. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, scilicet, in iis, quæ ad pietatem pertinent*, vt explicat Augustinus. Fides autem est cogitatio in iis, quæ ad pietatem pertinent, quia credere est cum assensione cogitare; ergo ad credendum etiam initio requiritur gratia Dei. Ad cuius argumenti vim, & efficaciam non erat necesse afferre adeo quam fidem definitionem, sed solum illud prædicatum, quod

esset cum assensione cogitatio : in quo prædicato in rigore loquendo videtur etiam convenire cum fide humana, præsertim, quæ aliquis firmiter credat quiddam propter humanam auctoritatem.

Secunda definitio fidei diuinæ communiter recepta desumitur ex Paulo ad Hebræos 11. in illis verbis : *est autem fides sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium*, de qua S. Thomas questione 4. articulo 1. Suarez ubi supra sect. 2. Hurtado disp. 49. sect. 2. & alij quos ipsi afferunt. Solet autem Erasmo tribui in annotationibus ad illum locum, quod voluerit, ibi non esse sermonem de fide intellectuali, sed de actu voluntatis : qui appellatur *fiducia*. Erasimum tamen ab hac aculatione liberare conatur Hurtado ubi supra §. 5. Et quidquid de Erasmo sit, immerito Pater Suarez num. 1. dicit eam fuisse sententiam Damasceni lib. 4. de fide cap. 11. Nam Damascenus, licet sentiat, ibi de fiducia etiam esse sermonem, non tamen de illa sola, sed simul etiam de fide intellectuali. Illud etiam certum videtur, non loqui Paulum tam de fide obiectiva, seu de obiecto fidei, quam de fide ipsa formali, seu de assensu nostro interno : nam fides obiectiva sunt res, quæ sperantur, & non apparentes. Fides autem, quæ hic definitur est substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, ergo condistinguitur ab obiecto fidei : obiectum enim non est substantia, seu fundamentum sui ipsius, & argumentum probans se ipsum.

Porro Paulum loqui de fide intellectuali, quæ credimus Deo, quæ ab ipso revelantur, constat ex communi consensu Patrum & Theologorum, quos affert Suarez ubi supra numero 2. & 4. & ex Anaficano cap. 25. & fauet Trident. sess. 6. cap. 6. ubi dicit Paulum illo cap. 11. loquutum fuisse de fide, quæ requiritur ut dispositio ad iustificacionem : de qua fide præmittitur eodem cap. 6. eam esse, quæ adulescentem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Constat etiam ex ipso contextu Apostoli, qui postquam in fine capituli 10. dixerat, *iustus ex fide uiuit*, statim c. 11. incipit de eadem fide dicere : *est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium* : & de eadem subdit : *sine fide impossibile est placere Deo : quia accedentem ad Deum, oportet credere, quia est* : quod quidem ad intellectum pertinet : & postea de eadem fide addit. *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, &c. & alia exempla affert, quæ omnino dicunt assensum intellectualem.

Quamuis autem non defuerint, qui hanc dixerint nullo modo esse definitionem, sed laudem, & encomium fidei : communiter tamen Theologi cum S. Thoma d. quest. 4. articulo 1. supponunt eam esse definitionem fidei vel actualis, vel habitualis, quod parum refert. Vtrique enim adaptari potest ; & in primis in illis verbis explicatur firmitas adhesionis intellectualis, quam significat vox illa, *argumentum*, vel, ut alij legunt, *euiotio*, seu *conuictio*, quod alij interpretantur manifestationem, seu determinationem, ut ex Chrysostomo, Theophil. & aliis obseruat Suarez numero 5. quia licet argumentum aliquando applicetur ad probabilia, & dubia : in sua tamen proprietate significat rationem certò concludentem, ut constat ex Aristotele in Rhetor. ad Alexandrum cap. de argumento, ubi sic ait. *Argumentum autem* Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuinæ.

est (sic enim Elenchon interpretamur) quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus ; & ex Tullio in Academicis quaestionibus lib. 2. *Argumentum*, inquit, *concludi non potest, nisi his, quæ ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, ut falsa eiusmodi nulla possint esse*. Obscuritas etiam fidei significatur, dum dicitur argumentum non apparentium, nam licet coniungat, non tamen facit apparere ea, quæ manifestat. Ex vtraque autem conditione, nempe firmissima adhesionem simul cum obscuritate inferri potest excellentia motui, seu obiecti formalis, quod non debet esse aliud, nisi auctoritas diuina : nam, quodcunque aliud non esset sufficiens, ut prudenter assentiremur ita firmiter iis, quæ nec videntur, nec clarè apparent.

Verba etiam illa, *sperandarum substantiarum rerum*, eandem fidei naturam, & proprietates explicant ; nam *substantia*, vel significat fidem, quod *hypostasis*, ut alij legunt, & indicat fidem esse fundamentum spei certissimæ, quam habemus, atque ideo ipsam esse etiam certissimam, alioquin non posset fundare, & fulcire spem christianam adeo firmam, & certam. Vel significat, ut alij volunt, existentiam, & consistentiam rerum, quas speramus : quia proprium est cognitionis facere obiectum præsens, & cognitionis certissimæ facere obiectum, ita certò præsens, ac si iam oculis videretur, & possideretur, quæ omnia significant fidei certitudinem, & efficaciam. Vel denique significatur etiam, fidem esse fundamentum nostræ felicitatis, & salutis, eiusque primum initium, ut dixit etiam Tridentinum sess. 6. cap. 8. in illis verbis : *Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo*. Vnde merito appellatur substantia, seu hypostasis, & fundamentum rerum sperandarum : quod est esse cognitionem primam necessariam ad salutem æternam.

Vnde inferitur primò hanc non esse definitionem fidei iuxta omnes regulas, & præcepta logicæ, sed descriptionem optimam illius, ut notauit etiam Hurtado dicta disput. 49. §. 17. inferitur secundò id, quod notauit etiam supra disp. 2. sect. 2. Verba illa Pauli, *argumentum non apparentium*, non debere intelligi in sensu vniuersali exclusiuo, ita ut quidquid per fidem creditur, debeat etiam aliunde esse omnino ineuidens ; sed vel in sensu formali, hoc est, ut per ipsam fidem non debeant, nec possint euidenter apparere : vel in sensu ampliativo, hoc est, fidem adeo conuincere diuinæ auctoritate ad credenda ea, quæ proponit, ut faciat firmissimè credi ea etiam, quæ nec videntur, nec aliunde vilo modo euidenter apparent, ut notauit etiam Cornelius ibi à me adductus, & latè probat Coninch disput. 11. dub. 1. num. 32. & sequentibus : id enim solum ad intentum Apostoli sufficiebat, qui contendeat Hebræos excitare ad patientiam in tribulationibus imminentiibus : hortatur autem ut fidei remediò, & solatio utantur, quia *iustus ex fide uiuit*, quæ fides res etiam absentes, & non apparentes firmissimè credit, & sperare facit. Quare sicut demonstrationis munus dicitur esse, quod faciat nos ex cognitis ad incognita scientificè penetranda peruenire ; per quod tamen non significatur, quod postquam aliunde notitià aliqua etiam euidentem, sed non perfectissimam de obiecto habemus, non possimus uti medio demonstratiuo ad eandem veritatem firmius,

T

34

35
Illationes
quædam ex
dictis.

& perfectius possidendam, sed solum significatur, quod demonstratio ducit nos in notitiam obiecti illius, etiam si aliunde notum nobis non sit: ita quando dicitur fidei munus esse, ut firmissimè, & certissimè credamus res non apparentes, non excluditur, quod faciat etiam firmitus credi eas etiam res, quæ aliunde ratione naturali apparere nobis poterant.

36 Denique definitio exacta fidei hæc traditur à Suarez disp. 6. sect. 1. num. 5. *est assensus firmus in auctoritate Dei obscurè reuelantis fundatus, quæ plenior, & melior est, quàm illa, quàm ponit Coninch disp. 14. dub. 1. numero 3. Credere est alicui assensio propter diuinum testimonium assentiri.* Hoc enim totum competet assensui præstito etiam propter reuelationem Dei clarè cognitam, & cum euidencia in attestante, qui tamen non esset actus fidei, ut suprà diximus. Vnde neque etiam mihi omnino placet definitio habitus fidei, quam ponit Hurtado disp. 49. §. 1. hoc modo: *est habitus per se infusus, quo assentimur iis, quæ dicuntur à Deo, propter eius auctoritatem, & testimonium certo & absque formidine.* Neque enim in hac etiam definitione explicatur fidei obscuritas, nam cui reuelatio Dei clarè constaret adhuc assentiretur rei reuelatæ propter auctoritatem & testimonium Dei. Possumus itaque illam Suarj definitionem ita proponere, ut competat soli fidei infusæ; *Fides est assensus supernaturalis, firmus, & certus, in auctoritate Dei obscurè reuelantis fundatus.* Quæ definitio cum proportionem applicari potest habitui etiam fidei infusæ.



DISPUTATIO IX.

De Supernaturalitate actus, & habitus Fidei.

- SECTIO I. *Utrum differentia inter actus honestos naturales, & supernaturales, semper proveniat ex ipso obiecto.*
- II. *Actum fidei esse supernaturalem secundum substantiam.*
- III. *Habitum fidei esse per se infusum & in sua substantia supernaturalem.*
- IV. *Utrum species ad actum fidei debeant etiam esse supernaturales in substantia.*
- V. *An sint supernaturales apprehensiones precedentes actum fidei.*



VAMVIS hucusque de actu solum fidei loquuti sumus, nec adhuc ceperimus de habitu loqui; non tamen possumus de supernaturalitate actus loqui, quin simul de habitu supernaturalitate dicamus, ex qua potissimum, ut videbimus, supernaturalitas in ipso actu probatur. Ne ergo eandem postea quaestionem iterum tractemus, utriusque nunc supernaturalitatem probabimus. De voluntate autem credendi, & de iudicio euidenti credibilitatis, quod præcedit, an debeant etiam esse actus supernatura-

les dicemus infra, suo loco, quando de iis actibus fermo erit. Nunc tamen operæpretium erit permittere, & videre, an actus naturalis & supernaturalis debeant differre ex parte obiecti: hinc enim pendet, ut postea videbimus, probatio supernaturalitatis in actibus fidei.

SECTIO I.

Utrum differentia inter actus honestos, naturales, & supernaturales proveniat semper ex ipso obiecto.

SUPpono, dari virtutes naturales, & supernaturales, quæ non solum per accidens, sed per se sint infusæ à Deo, nec unquam naturæ virtutibus possint acquiri, de quibus agitur latè in tract. de virtutibus. Hoc supposito, difficultas est, quomodo actus harum virtutum differant ab actibus virtutum naturalium, an ex parte obiecti, an ex alio capite.

Prima sententia docet, differre ex parte obiecti formalis motui: nam de obiecto materiali non videtur esse dubium, quod per actus utriusque generis attingi possint, idem obiectum materiale, ubi gratia, restitutio alieni, vel abstinentia à peccato, tam potest eligi per actum naturalem, quam supernaturalem: differunt tamen in motu, propter quod volumus restituere, vel abstinere: aliquando enim est motuum naturale, aliquando supernaturale. Hanc videntur docere Caietan, Conrad, & Medina, quos refert Salas 2. tom. in 1. 2. tract. 11. disp. 6. num. 34. eandem sententiam defendit Valquez disp. 86. cap. 6. & multis adductis Suarez lib. 2. de gratia cap. 11. num. 8. & tom. 4. in 3. part. disp. 3. sect. 6. num. 10. & sect. sequenti. Lullius Turrianus opusc. 2. de gratia disp. 8. dub. 8. & opusc. 13. dub. 3. & Curiel in præsent. q. 109. art. 1. dub. 3. §. 4. conclus. 2. & art. 3. & alibi, aliquæ Recentiores communiter.

Secunda sententia extrema negat differre actus naturales & supernaturales ex parte obiecti materialis aut formalis; nam licet sint aliqui actus supernaturales, qui differunt ex parte obiecti à naturalibus, & è contra, qualis est visio beata Dei, & è contra odium Dei, nullus enim actus naturalis potest esse visio Dei, sicut nec actus virtutis supernaturalis potest esse odium Dei: Cæterum alij multi actus sunt, qui siue naturales sint, siue supernaturales, semper habent idem obiectum materiale, & formale. Differunt autem ij actus ex parte principij, unde refunditur differentia etiam essentialis in ipsam substantiam actuum, quatenus unus petit fieri à solo principio naturali, alter verò petit oriri à principio supernaturali. Denique addit hæc sententia, differre illos actus non per obiecta formalia quæ, sed per rationes formales sub quibus. Nam licet uterque actus tendat ad idem motuum; sub directa tamen ratione formali; nempe unus terminatur ad illud motuum, quatenus attingibile per actum naturalem, alter verò ad idem quatenus attingibile supernaturaliter, quæ non tam sunt duæ rationes obiectivæ, quàm duæ attingibiles provenientes ex diversitate actuum, quibus potest attingi. Hanc sententiam tenent post plures antiquos non pauci ex Recentioribus, Salas ubi suprà, P. Coninch de Moralitate actuum supernaturalium, disp. 5. dub. 1. 2. & 3. P. Granada in prima